

1998-12-29 – SS Ioannes Paulus II – Constitutio ‘Tibuensis’

**IOANNES PAULUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM**

CONSTITUTIO APOSTOLICA***TIBUENSIS******IN COLUMBIA NOVA CONDITUR DIOECESIS TIBUENSIS**

Quam provido quidem tunc Nos pastoralis consilio in Columbia constituerimus Praelaturam territorialem Tibuensem, tantis videmus interea progressibus ad plenam vitae operaeque inibi catholicae maturitatem processisse tantoque simul christifidelium ipsorum et operum ecclesialium auctu crevisse ut iam mereri sibi pleno iure Nobis certiore stabilioremque videatur condicionem inter totius orbis ecclesiasticas ditiones. Nihil proinde satisfacere dubitamus votis ac precibus Venerabilis Fratris Iosephi de Iesu Quintero Diaz, Episcopi Praelati ipsius Tibuensis, qui nuperius petivit, adsentiente prorsus Conferentia Episcoporum Columbiae, ut sua tandem Praelatura ad dioecesis eveheretur dignitatem. Auditis interea Legato Nostro eandem apud nationem Paulo Romeo, Archiepiscopo titulo Vulturienti atque Apostolico Nuntio in Columbia, necnon ipsa Congregatione pro Episcopis, haec quae continuo subsequuntur fieri iubemus et volumus. Commemorata Praelaturam *Tibuensem* territorialem ad gradum promovemus ac iuridicalem dioecesis dignitatem, iisdem nimirum finibus adservatis quibus in praesentia circumscribitur tum etiam nomine ecclesiastico et civili quo nunc ipsum appellatur. Episcopalem sedem novae huius communitatis in urbe « Tibú » constituimus ibidemque templum Deo ad honorem Sancii Aloisii Beltran dicatum ad condicionem provehimus et Ecclesiae Cathedralis honorem. Eundem autem pastorem, qui Episcopus Praelatus illius ditionis fuit, Iosephum de Iesu Quintero Diaz primum dioecesi huic libentes sane praeficimus. Haec vero ad mentis Nostrae exsequenda decreta designamus pro tempore illic Nuntium Apostolicum in Columbia cui necessarias et opportunas tribuimus facultates etiam subdelegandi ad effectum de quo agitur quemlibet virum in ecclesiastica dignitate statutum, officio adiecto ad Congregationem pro Episcopis germanum exemplum actus ipsius peractae executionis remittendi. Contrariis quibusvis rebus nequaquam obstantibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die undetricesimo mensis Decembris anno Domini millesimo nongentesimo nonagesimo ottavo, Pontificatus Nostri vicesimo et primo.

ANGELUS card. SODANO
Secretarius Status

LUCAS card. MOREIRA NEVES
Congr. pro Episcopis Praef.

Eugenius Sevi, *Protonot. Apost.*
Marcellus Rossetti, *Protonot. Apost.*

*A.A.S., vol. XCI (1999), n. 4, pp. 332-333